

JOANNES

A

S. FACUNDO

Ordin: Eremiticam S. P. Augustini

SACERDOS

MAGNUS

Panegyrica Oratione

Veneratus

In solemni Canonizationis applausu, in

Ecclesia RR. PP. Augustinianorum Discalceatorum

Neo-Pragæ ad S. Wenceslaum!

2da Septembris Anno M. DC. XCI.

Ab

Admod. Reverendo ac Eximio Patre

NORBERTO SNEUDER, Sacri Or-

dinis Prædicator. SS. Theologiæ Lectore, & in Con-

ventu S. Mariæ Magdalenaë Micro-Pragæ

Philosophiæ Professore.

PRAGÆ, Typis Joannis Caroli Gerzabek.

22



Apocal. 21.



Ideo Civitatem Sanctam Jerusalem paratam sicut sponsam ornatam viro suo, plenam modulis in laude, & canoro jubilo. Video sacram hanc Ædem nuptiali thalamo preparatam, ut sponsata copuletur Domino: Porta nitent Margaritis aditis patentibus plateæ & muri ejus ex auro purissimo. Quin tota hac labente hebdomada sonabant carmina, tonabant Organa reboabant tympana, cantabant Musæ, clangebant tubæ, tinniebant per aëralyræ. Templum credebam Parnassum, rutilantes facibus aras stellantem judicabam Olympum, varietate florum & colorum ad ornatos parietes, Elysios fuscipabar campos: & hodie jam octava his plausibus labitur dies. Num sapientissimus Regum Salomon holocausta & Adipes pacificorum iterum offerat Altissimo in dedicatione Templi: Fecit enim Salomon solemnitatem in tempore illo septem diebus, & omnis Israël cum eo, fecitq; die octava collectam, eo quod dedicasset Altare septem diebus, & solemnitatem celebrasset diebus septem? Dixi, forte quia Elisabeth impletum est tempus pariendi, & peperit filium, audierunt Vicini & Cognati ejus, quia magnificavit Dominus misericordiam suam cum illa, congratulantur ei de prole, de qua Nuncius Coelestis: erit gaudium tibi & exultatio, & multi in nativitate ejus gaudebunt: & nunc hodie in die octavo veniunt circumcidere puerum & vocare eum nomine Patris sui? Hæc putavi & non erravi. Religiosissima enim & sapientissima Augustinia-

2. Paral. 7.

Luc. 1.



stiniana Familia noviter consecrati Templi solemnitatem
& Neo-nati Sancti celebrat Nativitatem. Sed quia hodie
octavus jam est dies conveniunt Vicini & Cognati cul-
tores Sancto devotissimi, ut sciscitarentur, *quo nomine vo-*
caretur? Innuebant autem Patri ejus, quem vellet vocare eum?
Et postulans pugillarem scripsit dicens: Joannes est nomen ejus.
Joannes à Sancto Facundo, Facunda vox clamantis inde-
serto! Verum Joannis à Sancto Facundo Encomiaften a-
gere, est gratiam cum Facundia desponsare. Hoc Eximij
& Facundissimi Divini Verbi Præcones octo continuis
hisce diebus ad amussim implere adlaborarânt: Dum gra-
tiam in gestu, facundiam è suggestu demonstrârunt. *In-*
nuebant autem Patri ejus, quem vellet vocare eum? Venera-
bilem hunc ego (si liceat) interrogabo Coëtum, quem
vellet vocare eum? Et postulans pugillarem, summariam in-
telligo Exegefin Vitæ & Miraculorum Joannis à Sancto
Facundo, pro præsentis Festivitate pietati vestræ commu-
nica tam, in fronte libelli sculpsit; Joannem Sacerdotalibus
ornatum ad aras, Dei-Mystam hostias offerentem Altissi-
mo, non Eucharisticas manu gestantem species, sed mira-
culosa visibili forma Dominicum Corpus. Et postulans pu-
gillarem, sculpsit SACERDOTEM MAGNUM. Salva res. Di-
versis honorum titulis elapsis diebus præstantissimi Enco-
miastes exornarunt Joannem: pace Vestra mihi hodie non
scriptum, sed sculptum pugillarem in thema sciographi-
cum eligam, & prolabentis solemnitatis coronide Joan-
nem à Sancto Facundo *SACERDOTEM MAGNUM* de-
prædicabo. Joannes à Sancto Facundo! gratiâ & facun-
diâ qua tu pollebas, egerem, dum de te sermo cinari cupio,
Viâ vitæq; tuæ seriem velle enarrare est in profundissimum
Mysteriorum puteum se præcipitare: porrige corrigiam,
nè hac abyssò demersus tantum supernatando, superfici-
em repræsentare valeam. Vos verò devotissimi Joannis
cultores, mihi vestra pietate favete. Tan-

Tanta est virtutis efficacia , ut sanguine nobiliores , naturâ illustriores , fecunda Parens generet , suâque profapia oriundos quibusvis dotibus , stirpe & stipite , stemmate & lemmate , fulgentibus anteponat , & Inclytis honorum titulis nobilitet. Proinde Juvenalis : *Nobilitas sola est , atque unica virtus*. Virtutis etiam Æmuli naturæ prodromi , tam alta excedunt honorum culmina : ut aquilarum leonumq; transcendant prædicamenta. Imò quos natura genuit homines , virtus traduxit in Cœlites : patuit in Thoma Angelico , Francisco Seraphico , & ubi natura superbit cum Tulliis , virtus gloriatur in Tertullianis. Hinc virtus dum sua nobilissima repræsentat pignora mundo producit miracula , gloriæ oracula. Hæc titulis ditat , augustis nominibus nominat , Encomiis illustrat. Sic Bernardum creavit mellifluum , Chrysostomum os aureum , Gregorium Thaumaturgum , Augustinum hæreticorum malleum , Albertum Magnum : & ut fileam alios , quis nostrum *SACERDOTE M MAGNUM* concepit , parturit , fovit & enutrivit , nisi Mater pulcherrima Virtus.

Nobilissimi Gonzalez de Castrillo conjux Sancha de Martinez sedecim Annorum curriculum inter Domesticos parietes latitans moerore confecta , dolore cruciata , dum carebat hærede , oppressa sterilitate , destituta remedio , orbata consilio ; quoties peregrina adibat Sacras Deiparæ Ædes , profluis per genas lacrymis , ejaculatis ad Astra suspiriis , supplicibus ad Deum emissis votis orabat cum sterili Anna dicens : *Domine Exercituum si respiciens videris afflictionem famulae tue , & recordatus mei fueris , nec oblitus ancillæ tue , dederisq; servæ tue sexum virilem , dabo eum Domino omnibus diebus vitæ ejus*. Hæc cum iteratis ingemisset vicibus , exaudita tandem à Domino concepit , & die Divo Joanni Sacro peperit filium. *Quid putas puer iste erit ?* Sancha pariendo Joannem sterilis typum gessit Elisabeth ;
votis

votis & precibus concipiendo, infœcundam repræsentavit Annam: Elisabeth edocta ab Angelo de nascituro Joanne, audiit: *& erit magnus coram Domino*: Anna Samuellem Sacerdotem peperit de quo DEUS: *Suscitabo mihi Sacerdotem fidelem*; quid igitur aliud Sancha in Joanne à Sancto Facundo, mundo producere potuit, nisi uniendo utrumque, & parere *SACERDOTEM MAGNUM*? En arida sinè frugibus arbor sinè arbore tellus! Effœta natura, non valuisti in Sancha parvulam procreare virgultam; & virtus fœcunda Parens sterilitatis inimica, non tantum tenella prole, Matrem lætificavit, sed & *SACERDOTEM MAGNUM* procreavit. Quin ultra vidimus semper virtutem, naturæ, palmam furrupuisse, & Joannem parvulum sub parcis naturæ dotibus, *SACERDOTEM MAGNUM* jam demonstrasse. Tenellis enim ab unguibus, ubi, si naturalia spectamus, clamare poterat: *AAA nescio loqui quia puer ego sum*; attamen quia *Joannes vox clamantis*, pietatis zeloten, Divini Verbi Præconem Facundum se ostentavit, quasi Doctor Gentium illi scripsisset: *Tu vigila, in omnibus labora, opus fac Evangelista*. Nam sæpè sæpius congregabat coëtaneos suos, eos corripiebat ut Pedagogus, docebat ut Magister, & dum aliis majoribus concurrentibus, staturâ parvulus Joannes, omnium se nequibat sistere conspectui, quasi Zachæus cum Vincentio Fererio sublimiorem cæteris confidentibus ascendebat locum, volens *SACERDOS MAGNUS* videri, quantitate molis pusio, quantitate tamen virtutis vere *MAGNUS*: Et dum sic magnum in parvo considero, venit mihi in mentem Alexander ille Macedo, cui licet naturæ parcitas negaverit membrorum proceritatem, magnanimitas tamen, tantum illum excrescere fecit, quod nomen Magni, esto staturâ parvus obtinuerit, ut canit Poëta:

Magnus Alexander, corpore parvus erat.

Dum

Dumque hæc pietatis specimina, Magni futuri Sacerdotis indicia, clara Sanctitatis auguria, tacito Parentes meditentur obtutu, & puerum, non Mundo sed Cælo natum, humanis alienum illecebris, Divinis inhiantem arcanis, nobilitatis oblitum & fastus, non Palatiorum structuris, superbisque Colossis & pompis, non Regalibus convivantium epulis, aut intexto vestibus auro, sed solo Divino nectare potari, Coelestium contemplatione satiari, cæteraquæque fastidire; ut operosæ virtuti campum aperirent, & spiritualibus inhianti animo, acquiescerent; Joannem Religiosis Divi Benedicti in Cœnobio Primitivi & Facundi, veluti suas Deo primitas obtulere, ibidemque literis imbuendum tradidere. Ibi argumentosa apis, assiduo conatu è Sacris fugebat mella scripturis, nullo pallatui suo magis sapido contentus cibo, quam humanarum Divinarumque scientiarum favo. Videbatur tunc in medio Religiosorum Cœtu, Joannem esse parvulum illum, quem Jesus statuit in medio Discipulorum suorum, interrogantium, *quis major sit in Regno Cælorum?* Et solvens Salvator questionem, indigitat parvulum dicens: Hic major est. Quid nisi *SACERDOS MAGNUS*.

Ecc. 50.

Vere *SACERDOS MAGNUS* dum provectioris ætatis ab Alphonso Carthagena Episcopo Sacris Neo-Mystra initiatus, mox Canonatu Ecclesiæ Cathedralis Augustobrigensis in auguratur, Rectoratu ibidem aliisque Ecclesiasticis beneficiis dotatur. Ecce *SACERDOS MAGNUS*, qui in vita sua suffulsi domum, & in diebus suis corroboravit Templum. Tunc enim veluti alter Paulus Evangelista, vitiorum vindex, virtutum author & auctor, zelo Eliæ incensus, surrexit quasi ignis, & verbum illius quasi facula ardebat, eradicare cecepit zizania vitiorum, labruscas scelerum, Apostolicum prædicationis Officium, diu nocturne exercendo, arguendo, increpando, obsecrando, in omni patientia & Doctrina: Flagitiis indurata rumpebat pectora, saxea emoliebat præcordia, percussit petram & fluxerunt aque poenitentiae. Effrænata millèque furiis agitata tunc temporis Salmantica, ferale martis & mortis theatrum, in quo diræ homicidiorum Scœnæ cruentæque occisorum videbantur tragediæ, plena insidiis & tumultibus, stragibus & cladibus, bellis & duellis, nulla vi aut metu in pacis fœdera reconcilianda: dum Joannem à Sancto Facundo vicis & plateas imperterritè obeuntem conspexisset & severe in hæc exorsa odiorum incendia animadvertentem stupuisset, veluti percussa fulmine, terrore correpta, motos compescuit fluxus. Satellites alii infandi sicarii, extra Urbem insequi, asequique tentantes Joannem

annem, eumque ferro trucidare, & sic de medio tollere cogitantes; solo conspectu Viri, ut statuae immobiles steterunt fixi, nec ultra progredi, aut aggredi valuerunt. *Ecce SACERDOS MAGNUS, qui in diebus suis placuit Deo, & inventus est justus, & in tempore iracundiae factus est reconciliatio.* Contigit quadam vice Ioannem domo sua egredi, obuiumque habere egenum vestibus spoliatum, stipem efflagitantem, qua nuditati suae consuleter. Respicit Vir Sanctus, motisque pietatis innatae, & misericordiae solitae visceribus, propriam & quidem pretiosiore quam domi servabat, pauperi elargitus est tunicam. Martinus adhuc Catechumenus pauperi nudo, Christi nomine opem petenti, partem chlamydis donans, à Christo veste illa induto visitatur, & in *MAGNI SACERDOTIS* dignitatem evehitur; Ioannes sequenti etiam nocte, à Christo, cui in specie pauperis tunicam tradidit, invitatur: & nunquid etiam in *MAGNUM SACERDOTE* evehitur? certo. Sacerdotes Magni Néo - in auguratos Reges & Monarchas, paludamentis regalibus vestiunt, quam *MAGNUS SACERDOS*, qui *Regem Regum, Dominum Dominantium*, investire meretur! Imò ut Christus vicissim, Ioannem augusta *MAGNI SACERDOTIS* chlamyde condecoraret, Augustiniana eum investiri voluit tunicâ. Verum, quia nullus eidem Sacro Coetui & Sodalitio adscribitur, nullus Magni Augustini Familiae incorporatur, nisi habito calculo candido; Ecce Ioannes incipit laborare calculo, acutissimis torquetur doloribus, & dum patientissime cruciatus vinceret, nullave dolorum ærumnarumque vi vinceretur, audiit: *Vincenti dabo manna absconditum & dabo illi calculum candidum, & in calculo nomen novum.* Vincenti Ioanni dabo manna absconditum, Eucharistica revelando Mysteria Divinae Fidei manifestando secreta, absconditum sub velo specierum Sacramentalium, aperiendo corpus. Quantus Sacerdos! Angelice Thoma, tu Magnus semper Eucharisticus veneraris Doctor, eò quod tuorum de hoc Mysterio scriptorum, Christum habueris censores; *Bene scripsisti de me Thoma*: Ioannes à Sancto Facundo *MAGNUS SACERDOS* efficeris, quia Secretorum Sacramentalium Christum habuisti Doctorem. Quod Thomas scripsit, Ioannes vidit, quod Thomas mente concepit, Ioannes manibus palpavit. Gaudete Augustiniano Thomistae, oculatum testem veritatis Doctrinae vestrae acceperistis Ioannem: potius dixerim plaudite Ioannei Thomistae, ex Schola Christi habentes novum Doctorem, & *SACERDOTE* *MAGNUM* cui cum Aquila Apocalyptica, liceat dicere: *quod fuit ab initio, quod audivimus,*
quod

quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ con-
trectaverunt de verbo *Vitæ*, annunciamus vobis. Et dabo ei calculum
candidum approbationis, & in calculo candido nomen novum, *SACERDOTIS MAGNI*. Ioannes vox clamantis in deserto Eremita Au-
gustinianus, quia ad altiora natus, paucio latitabat tempore sub humili-
tatis modio, fulgore virtutum ardens facula, super candelabrum poni-
tur, ut luceat omnibus, qui in domo sunt, Præses Salmantini Cœnobii
creatus, *SACERDOS MAGNUS*. Sed quia vox erat, quomodo tace-
re poterat? Hinc sonabat in Pulpitis, tonabat in Cathedralis, in scelera
fulminabat, luxumque Mundi, ea, qua poterat severitate, penitus ab-
olere nitebatur. Quam molestè tinniebat in auribus plurimis vox illa:
Non licet habere Uxorem Fratris tui! ea propter, Sacrilega quædam
Medæa infectum toxico poculum vino plenum, in Eleemosynæ signum
desert Ioanni, piis se commendando suffragiis, ementita pietate, vene-
num aspidum sublabiis celando: quo accepto Ioannes, gustans gusta-
vit modicum, & ecce membris sensim debilitatur, viribus destituitur,
decumbit & occumbit. Flete populi, plangite gentes, lugete Urbes, As-
tra velate facies, obscorentur Cœli luminaria, diem involvite tenebris
tristitiæ pèplo. Quid dico? non obiit, sed abiit, Ioannem non amisi-
mus, sed præmisimus, non mortuus, sed ortus est. Plaudite Cœli ru-
tilantia scintillate sydera, rideat phœbus, dum *SACERDOS MA-
GNUS* de Ecclesia militante, transit ad triumphantem. Hic enim
beatus transitus, præsentia excitavit solemnia, Sacra decoravit Festa,
nostram lætificavit Patriam, totamque militantem Ecclesiam novis do-
tavit trophœis. Quis non plauderet? si ad tumulum Ioannis, tripudi-
ant claudi, cantant muti, lætantur surdi, exultant cœci, gaudent ægro-
ti, jocantur defuncti? Cur astra nativo spoliarentur nitore, dum Ioan-
nes virâ functus splendida circumfusus luce, radiantis ad instar solis
clarefcit?

Tu ergo sanctissime Melchisedech, quem devoto solemnibus huius
octavæ decursu, festiva venerati sumus celebritate, vota nostra, & pri-
mitias Patrocinii tui, perfer *SACERDOS MAGNE* ante Deum, ad
Altare summæ Majestatis, ascendant sicut fumus aromatum in conspe-
ctu Domini, de manu tua in odorem suavitatis: veluti primitiæ fru-
gum iusti Abel & Abrahæ, in cuius sinum aliquando transportemur.
Sanctissime Ioannes à S. Facundo, gratia & facundia es! Ego autem
quia Tyro Orator, in Eloquentiæ campo paucos flores Rhetoricos de-
gustavi, propterea gratiâ & facundia destitutus apparui, & de te tuusq;
virtutibus, & meritis, parum, aut nihil

DIXI.